

QUÆSTIO MEDICA¹⁸

EAQUE THERAPEUTICA

PROPOSITA

AB ILLUSTRISSIMO VIRO

D. D. JOANNE BEZAC

Regis Consiliario & Medico, nec-non in almâ
Monspeliensium Medicorum Academiâ Pro-
fessore Regio dignissimo & Decano pluri-
mum venerando,

SUB HAC VERBORUM SERIE

An Febris malignis Evacuantiâ.

Quam Deo duce & favente Dei-Parâ propug-
nabit JACOBUS ANTONIUS SONNET Cenomanus
Artium Liberalium Magister, & primus Uni-
versitatis Consiliarius, in augustissimo Mons-
peliensis Appollinis Fano, die primâ mensis
Aprilis anni 1715. ab horâ octavâ ad merid.

Pro primâ Appollinari Laureâ consequendâ.



MONSPELII

Apud HONORATUM PECH, Regis, Universitatis,
Cleri & Urbis Typographum.

M. D C C. X V.

DISPUTATORI.

PROFESSORES REGII,

- R. D. Franciscus Chicoyneau, *Cancellarius.*
R. D. Petrus Chirac,
R. D. Petrus Magnol,
R. D. Antonius Deidier,
R. D. Petrus Rideux,
R. D. Antonius Magnol, *Patris Coadjutor.*
R. D. Jacobus Chastelain.

DOCTORES AGGREGATI.

- R. D. Joannes Henricus Haguenot,
R. D. Henricus Haguenot, *Patris Coadjut.*

DOCTORES ORDINARII.

- M. Eustachius Marcot,
M. Jacobus Lazerme,
M. Antonius Fizes,
M. Franciscus Germanus Prevost,
M. Antonius Franciscus de la Mezangere,
M. Claudius Ludovicus Perrand,
M. Thomas Martin,
M. Guillelmus Rey,
M. Moyfes Rey,
M. Alnardus Bayo,



QUÆSTIO MEDICA

A N

Febribus Malignis Evacuantia.

DURUM Morbi genus, Febris, quâ diem extremum plurimi morte conficiunt, omnibus fere morbis sese comitem addere solet, crebro solâ ipsa conflantur ægrotantes, nullo discrimine hos & illos habet, hæc ex aperto laceffit, illa lenitatem mentitur ut ex improvise clandestinoque viros obruat; sed tot ac tantas Februm varietates magnam multitudinem, naturæ earum dissimilitudines exponere, brevitati consulendo, non est animus.

Qui nimis accipiant oneris male brachia tendunt.

Hoc igitur in primo Doctrinæ tentamine satis nobis erunt quæ maligno caractere gaudentes specie quâdam benignitatis assimilata tenent quos invadunt, at ut rectius, ordineque regulari omnia disponantur quid sit in genere Febris dicendum nobis incumbit.

A ij

Est ergo sanguinis illa præternaturam fermentatio quæ vitiosâ pulsus frequentiam constante & permanente stipatur. Quanto in errore versantur qui in præternaturali sanguinis æstu & agitatione cum frequentiam pulsus, functionumque læsione Febrem constituentes ex earum numero algidas & intermittentes velle excludere videntur, in his horror & rigor initio corpus occupat illudque totum frigus opprimit, sanguinis æstus remittitur, abest ergo Febris, sed huic opinioni suffragari non possumus, soli ipsi in suâ sententiâ consistent.

Quidquid in definitione nostrâ fuit annotatum in Febribus malignis reperire est, augetur calor, frequentior est pulsus, sed parum ita ut sicut & urina vix à naturali statu recedere videantur, innumeris attemen symptomatis in ægrum certatim ruentibus concomitari fatalis nos docet experientia quæque pro diversitate diversos fundunt malignitatis gradus; hic nullâ labe maculatur corpus, maligna simpliciter, illic maculis purpureis, aut nigris inquinatur petechialis aut purpurata apparet, pustulis aut exanematibus cutis devenustatur morbilli aut variolæ ægrotantes afficiant, adsunt bubones & carbunculi pluresque ex hominum vitam demigrant dum pauci ad pristinam valetudinem revertunt, & tunc crudeliorem omnium adesse pestilentiam non est dubitandi locus. Ex dissimilitudine miasmatum tot diversas Febres naturales habere sedulo contendimus, nunc in se-

cessu positâ veterum opinione de qualitatibus occultis quæ rei tenebras potius offundit quam lucem affert accurate naturam eorum miasmatum perpendere, non autem figuram delineare nostri negotii est, quod acida sint aut alkalia vel illorum modo, modo aliorum naturam redoleant quisquis asseverare poterit, asserat & belluas eidem malignitati patere, idem corpus humano sanguine permixtum ipsum coagulans, idem illum dissolvens, coagulat & sanguinem brutorum, aut dissolvit, liquorem acidis refertum aut acribus apertâ venâ in sanguinem transmissum horrenda producere symptomata imò arcessere mortem non invite sed ingenue fatemur, ac nullas esse alias qualitates quæ pro subjectorum diversitate varias in sanguine alterationes efficere valeant, non inde disjudicandum; anne illi quorum victus in alimentis acribus aut acidis consistit malignis affectibus corripuntur, imò sæpe valetudine optimâ ad summam senectutem vivunt.

Quod acria in partes integrantes non in essentielles sanguineum laticem dissolvant, res ita nota est, & apud omnes pervulgata, ut qui id in dubium revocaret inter Stoicos de certis semper dubitantes jure ac merito collocaretur, Verum colliquatur in Febre malignâ & sui ipsius in principia dissolutionem pati necesse est.

Maneat igitur inconcussum partes acidas sicut & acres malignam Febrem non parere sed innumera corpuscula quæ mole, figurâ, textura;

que discrepant, & propter suam cum humano cruore heterogencitatem in ipso fermentationem corruptivam excitare valent; vana ergo & inutilis harum febrium à recentioribus recensita divisio in eas quæ à coagulatione, & alias quæ à dissolutione generantur, miasmata etenim nostra quibusdam tantùm partibus adhærent sibi proportionatis & in omnes non agunt dum igitur ab iis tales colliquantur, aliæ ad sese invicem magis accedunt, & per consequens dum quædam dissolutionem aliæ coagulationem patiuntur, at licet acida sicut alkalina tales effectus non præstare jamdudum satis fuerit argumenti, alteram momenti non minoris rationem afferre non alienum esse videtur, sales quos Chymici alkalinos nominatim appellarunt in integrantes particulas sanguinis partes dissociant, fermentativum imminui ipsius motum potius quam adaugeri inde concludendum est, in minores etenim & minores reducuntur sanguinis particule, ergo materia subtilis aditum, progressum, & exitum facile peragit, ex quibus nulla aut saltem minima fermentatio potest subsequi, diversos acidi sales & alkalini in sanguine effectus obtinent inspissant acidi, alii dissolvunt, sed in hoc utrique congruunt ut de cruoris fermentatione multum detrahant.

At vero tot miasmata cunctas sanguinis partes corrumpere non apta nata sunt, agens nisi in proportionatum sibi patiens nihil exequitur, aurum argento permixtum aquâ regiâ liquari

solet dum argentum separatum à menstruo sibi non accommodato remanet intactum, aurum vero liberatur à permixtione si fortem aquam perfundas & argentum ab eâ sibi proportionatâ dissolvi videtur, nullis ergo mirum unde tanta malignitatis diversitas nam pro miasmatum & partium sanguinis corruptarum varietate, modo simplices malignæ, variolosæ modo, morbillosæ aut pestilenciales viros opprimunt.

In ardenti Febre cruor omnino fere colliquescit, non fit attamen maligna, maximus etenim adest æstus & humorum agitatio, ampliantur pori, putridæ partes & corruptæ antequam per suam junctionem malignitatem consequantur, discutiuntur & avolant, quando in Febre jam laudatâ colliquationem tantam patitur sanguis ut cunctæ partes corruptæ simul foras non possint amandari quædam moram trahentes sibi invicem occurrunt, combinantur, & malignitatis indolem acquirendo ardens febris caracterem novum induit, & in malignam immutatur.

Suum habent ortum in nobis hæc miasmata, aut extra generantur obices in colatoriis positi recrementorum indolis diversæ sicut & excrementorum secretionem inhibent, retentis in sanguineo latice peculiare fermentativos motus conciunt, liquantur quædam partes, quædam putrescunt, quæque ob non adauctam maxime fermentationem foras non propulsæ copulantur, & figuram hanc, texturam, atque molem

adeo sanguini heterogeneam adeptæ , febres malignas accersunt.

Carnes ad putrefactionem vergentes , fructus immaturi , aliique cibi putridas in se particulas continentes deferantur ad ventriculum in chilo remanent , cùm ipso subeunt vasa , simulque sanguini permiscentur , hic miti blandâque fermentatione sui juris factæ , aliæ ad alias sese congregant & sic malignitatis indolem assequuntur.

Tot variæ inter atomos heterogeneas in terræ visceribus fiunt fermentationes ut copulatæ simul corpusculis malignitatem redolentibus ortum præbere posse nullus sanæ mentis inficias ire poterit , succum alibilem plantarum illa depravant , vitiantur fructus , væ Viris qui sanitati non consulentes iis inconsiderate ac imprudenter abuti solent.

Terra vehementissimis motibus quam sæpe conquassatur , disrumpiturque , corpuscula arsenicalis , aut alterius naturæ erumpentia per aëra undequaque volitant , inspirantur , salivam in transcurso corrumpunt , aut nullo mediante per pulmones sanguine commiscentur , quot ac quantæ putrefactæ partes ex apertis specubus , puteis , paludibus , stagnis sese foras proripientes non dissimiles effectus præstare valent , id sane nimis notum , & horumce locorum incolæ infelix sæpius tale experimentum agunt.

At verò quisquis ipsum aërem depravatum dicet , nugas agit , aër nobis semper amicus est , & si putridæ partes jamjam recensitæ sibi ipsi
sese

sefe nusquam adjungerent tot dissimiles morbos, tot infirmitates varias humanum corpus non periclitaretur.

Post Martis Prælia, magnasque strages in castra pestis, aut alia maligna febris incessit, plurima etenim hominum cadavera simul infodiuntur, paucâque onerantur terrâ, putrescunt partes, colliquanturque colliquatas agitat materia subtilis, in occurſu junguntur malignitatisque perniciosam indolem contrahunt, non solum eâdem ratione pestilentia vehemens, aliave febris per urbes obsessas incidit, sed & quia putridæ carnes sicut & alimenta boni succi æquali appetitu vorantur, mortemque ex fame vitando crudelius citiusque fatum accelerant.

Si cibos fere putrefactos cacochimici homines, aut plethorici depascantur ob virium imbecillitatem, minimamque cruoris fermentationem putrefactæ partes modo jam centies exposito malignum characterem valent comparare.

Morbis qui serpunt in populos contagiosorum nomen imponere omnes uno animo consentiunt, malignam febrem talem esse convincimur experientiâ, præ cæteris quæ à miasmatis in corpore nostro ortum ducentibus dependet, sanguini etenim humano corpuscula hæc quam alia aliis in locis genita facilius accommodantur, & per consequens ab ægrotante in sanum transmissa citissime strages edunt & miser homo iisdem malis inopinate labefactatur.

Homo qui semel ex peste sese recolligit in

hunc morbum plerumque non recidere videtur nisi cœlum insalubre à primo diversum pestilentiam omnino differentem afferat, sanguinis etenim partes primis accommodatæ miasmatis jam-jam à primo affectu deflagratæ per maculas, sudores, alias-ve evacuationes excutiuntur.

Fatalis regionibus remotis ventorum motus quo tot miasmata ad eas sæpe transferuntur quæque Provincias hæc non minus ac alias devastant; quam vituperanda eorum incuria qui suis rebus indormientes suæque salutis homines jam veneno infectos suam in civitatem adsciscunt; æqualem brevi miseram sortem experiuntur, serius ad se redeunt, culpamque confitentur.

¶ Nunc ad enodandas symptomatum causas nos accingamus. Incunte febre sanguis crassus est, viscidus, putrilaginosâque materiâ oneratus paucam spirituum copiam cerebro subministrat, aut si in sufficienti quantitate sequestrentur malignis miasmatis plenus ipsos valet profligare, à spiritibus autem copulâque explosivâ confirmantur corporis vires, deficiat ergo aut depravetur uterque, robur ac corporis firmitas debet debilitari.

Dum aër malignis plenus corpusculis inspiratur, in transcurso suo primo salivam solet contaminare quæ in ventriculum demissa idem istius fermento reponit, & sui ipsius vitium communicat, si miasmata in sanguine ipso natales habuere humores pravi unâ cum fermento ab ipso cruore dissociantur graves ac importunas

concitant sensationes , anxietates persentiuntur
cardialgiæque ægros percellunt.

Non ratione dispari vomitu , nausæâ , atque
cibi fastidio tentantur ægrotantes , humores ete-
nim pravi in ventriculo separati fermentum per-
vertunt , unde cibi fastidium , sed moram hic
trahentes acrimoniam concipiunt , dilacerant aut
divellunt stomachi membranas , spirituum refu-
xus ad sensorium commune vehementes conci-
tantur , fiunt nervorum consensu pares influxus
ad diaphragma , musculos abdominis , ventricu-
lumque , coarctantur simul , & versus os sto-
machi superius exitui suo minus obsistens ali-
menta protruduntur , si spasmodici motus non
sint adeo vehementes ut alimenta ad superius
orificium adigant nausea , aut inanis vomendi
cupido subsequetur.

Sicuti spirituum defectu vires prosternuntur,
ita & eorum absentiam syncopes oriri consues-
cit , denegato etenim hoc fluido parti machi-
næ principi ventriculus dexter parum sese coarctans
sanguini per pulmones transeunti minorem
motum impertit , ipsos pervadendo flaccidæ
substantiæ motus sui portionem concedit , ibi
commoratur , sic ad ventriculum sinistrum ip-
sius interrumpitur comineatus , cor cruore de-
pauperatum , nihil quod motui suo responset
invenit , unde syncopes.

Dum sanguis in minori atamen quantitate
ac in syncope hæret in pulmonibus , vesiculas
comprimit , compressæ angustantur , aditum sus-

ficienti acris quantitati recusant, & sic Respirationo magno labore, magnâque difficultate peragitur.

Sunt partes laticis sanguinei quæ miasmatis colliquantur, sunt & aliæ quæ ab iis intactæ ad sese accedentes cracescunt, in medio sanguine grumi innatant qui per circulationem ad vasa capillaria delati cursum amplius non valent peragere, appellenti ponunt obices, magnâ quantitate congeritur, distendit vasa, rumpitque; in internis si ruptio fiat inflammationis, si in externis hemorrhagiæ nomen habebit.

Dissolutis quibusdam massæ sanguinæ partibus cumcrementis variis simul & excrementis confunduntur, separantur per cola, excretiones ergo sanguinolentæ foras exhibunt; si putrefactæ partes cum mucositate intestinali sequestrentur ibi moram trahentes acrimoniam acquirunt, orbiculares, longitudinalesque intestinorum fibras erodunt ac vellicant; fiunt refluxus & influxus vehementes, spasmodici motus suscitantur frequentes & gravissimi, unde diarrhœa ortum habebit.

Propter substantiæ cerebri flacciditatem difficulter cruor circulatur, in viâ consistit, hic magnâ quantitate coacervatus corticales cerebri glandulas premendo constringit, ipsius in sinu spiritus retinentur; unde Lethargus, aut alii soporosi affectus ægrotantem occupabunt.

Si à sanguine per cerebrum cursum peragentes spiritus sufficienter sejungantur, partes sibi

ipsis heterogeneas secum valent abducere, his tumultuantur, has & illas agitant fibras, mens illarum motibus semper attentas ideas ex omnibus sibi designatis incongruas efformat, unde mente labuntur ægrotantes.

Morbo ad statum pervento quandoque urina videtur turbulenta, sales enim & sulphura cum aquosis partibus perturbate confunduntur, promiscue separantur à renibus, & simul foras exeunt; si coagulatae partes has jam recensitas in se maximam quantitatem retineant, non turbidae sed clarae, atque limpidae apparebunt.

Quò magis humores aestuant, eò major est calor; quò major est fluidi cordis motivi energia, eò citior pulsus atque frequentior, sed in his Febribus fermentatio vix ac ne vix quidem adaugeri videtur, vis fluidi motivi à naturali statu ferè non recedit, calor ergo maxime non intenditur, pulsusque penè frequentior non evadit.

Propter glandularum cutis flacciditatem mucosum corpus malignis corpusculis stipatum se jungitur, hic subsistendo acrimoniam concipit, exedit partes; carbunculi suscitantur.

Densantur quaedam cruoris partes, liquantur aliae, spissatae vasa capillaria difficulter subeunt, ponunt obices appellenti, & sic diversi coloris maculae cutem deturpant.

Lymphâ crassiore factâ dum per parotides aliasve glandulas separatur, istius supprimitur iter, appellentis cursum comprimit, magis ac

magis congeritur, glandulas inflat, inflatæ sanguifera vasa comprimunt, hæret cruor, cujus præpedito circuitu increfcunt, unde parotides, aut bubones nascuntur in axillis.

Sanguis diverfimodè affectus fluidum cordis motivum differentis energiæ subministrat, inæquales cordis producet contractiones, inæqualis ergo pulsus perſentietur.

Ut qui malignis Febribus detinentur pravis humoribus crudisque repleti ſunt, vermibus obſectos eſſe non mirum iis enim excudendis animalibus levi fermentatione opus eſt, quæ ut ex jam dictis patet, malignam febrem accerſit.

Cum quilibet homo diverſâ temperatione donetur varia & oriri poſſe ſimptomata fatale nos docet experimentum, ſed illa recensere noſtræ non ſunt partes; ad Diagnosiſim ergo progrediamur.

Diagnosiſis. Febrem malignam noſcere non difficillimum, ſi non tantùm Febrem attento animo, ſed & ſimptomata perpendas. Sunt imprudentes, inexpertique Medici qui Febrem hanc momento ſuo non ponderantes, quænam ſit ignorant, Febris lenitate decepti, non examinatis ſimptomatibus, felix omen pronuntiare audent, nullamque curam adhibere, dum celeri gradu viam lethi calcat ægrotans; dum igitur graviffima urgent ſimptomata pulſusque & urinæ vix immutantur, malignam adeſſe febrem aſſerere poteris, ineunte verò cujus ſit ſpeciei Diagnosiſim proferre, id niſi temerario,

audacterque nimis fieri nequit, si quædam tamen provinciam devastet, & per urbem incidat, tunc quisque ad eandem suspicandam conjecturâ ducatur.

Prognosis. Nomen ipsum malignitatis ægrum maximè periclitari declarat, major autem aut minor symptomatum gravitas, majus aut minus vitæ discrimen ostendit, nullæ gravius quam pestilentes bubonibus atque carbunculis comitatæ periculum agnoscunt, Petechiales secundum obtinent locum, Variolosæ, Morbillotæque subsequuntur quæ felici exitu crebro desinunt; at verò si qualiscumque species inflammationem viscerum comitem habeat, ex omnibus animo non suspenso exitiosa magis appelletur, sed licet in symptomatum vehementiâ, celeritate, complicatione morborum Febris hujusce periculum statuamus, id non intelligatur absolutè, sunt etenim homines gravissimis oppressi symptomatibus, & de quorum salute nulla spes affulgebat, qui paulatim ex morbo sese recolligunt, dum alii minus lacerati non valent ad sese redire, stupefactisque omnibus ex hominum vitâ demigrant.

Antequam de curatione sermonem habeamus, quædam de præservatione prælibare non alienum est.

Ut tutius quisquis hæcce impendentia mala à se removeat extra regiones infectas sese declinet, neque ad eas nisi serius accedat, sed cum omnibus fortuna non finit patriâ demi-

grare cibis non sese ingurgitent, imò quantum poterunt ab iis abstineant, animoque tranquillo consistant, sobrietate etenim minor generatur sanguinis humorumque crudorum copia, facilius ventilatur, fermentescit, depuraturque sanguis, atque miasmata quæ cum aëre inspirato ipsum ingrediuntur facile possunt subigi, & antequam naturalem sanguinis fermentationem pervertant foras amandari.

Saliva & ventriculi fermentum quæ ex alimentis emergunt cum assuetis potius quam insolitis quadrant semper ergo in cibis idem servetur ordo, etiam si ad valetudinem tuendam maximè non sint usitati, animi tranquillitate & fortitudine vegetior fit ad partes cunctas corporis spirituum influxus, unde sanguinis intenditur fermentatio quâ facilius miasmata subiguntur ut foras exeant, sicut enim experientiâ compertum est meticulosos malignæ febris facilius objectos esse ita & ipsâ viros animi hilaris minus obnoxios esse convincimur; exhiberi possunt identidem Alexipharmaca non vero iis abuti, si etenim nimiam quantitate assumantur fermentum ventriculi valent debilitare & in posterum penitus obruerent; Teriaca Fracastorii Diascordium ab omnibus permittuntur, at verò quid melius atque præstantius optimo Vino quod ventriculi fermentum nunquam depauperat, imò sustinet, sanguinis fermentationem tuetur, ad nutritionem confert, maximamque spirituum copiam corpori suppeditat.

Curatio.

Curatio. Quam plurimi sunt qui Febres hæc nunc à coagulatione, nunc à dissolutione pendere imaginantes in earum Curatione dissolventia modo, modo coagulantia præscribunt, at huic opinioni si ferremus suffragium, diceremus sanè secus atque à nobis sentiretur.

Quantæ accusandi sunt imprudentiæ? qui inconsultè initio morbi cunctis æqualiter ægrotantibus ut specificum Alexipharmaca distribuunt, nonne talibus Remediis ille redit ad sanitatem dum perit alter; si attento animo morbum considerarent primas vias pravis humoribus modo infarciri, modo non, facilè detegerent. Hic Evacuantia jubeant, Alexiteriorumque tempus expectent: Illic autem admittant Alexiteria, Evacuantiaque recusent; pravis stomachum humoribus scatere ex nausæa, cardialgiâ, inappetentiâ, vermium generatione cuique facile patebit, tunc celebratâ venæ sectione Evacuantia tum per superiora, tum per inferiora adhibeantur, exhibita etenim Alexiteria ante purgationes pravi humoris particulas quasdam afferrent ad sanguinem Febremque redderent deteriolem, at verò Evacuationibus factis tuto commendantur, insigni etenim heterogeneitate pollent quâ fermentationem cruoris intendunt, unde partes infectæ separantur à sanis forasque amandantur, peculiari etenim qualitate venenum non debellant sed per accidens exitum ipsius juvare consuescunt, eâdem ratione venæ sectio pro viribus ægrotantis percele-

bretur, depletis etenim vasis cruor ex facili circulationem peragit, fermentescit magis, atque depuratur, inflammationes etiam & hæmorrhagiæ venæ sectionem indicant. Apparente salutaris sudore, naturaque non sit sufficiens ad malignitatem omnino foras expellendam sudorificis adjuvetur, quò natura vergit eò tendat Medicus.

Cucurbitulæ scarificatæ, Hirudines, & Vescicatoria commendantur dùm adest sopor maximus. Excitando etenim spiritus excitant & vigiliis, ne somno longius protracto in æternum protraheretur.

Sanguinis missionem apparentibus maculis Empirici potius quam Medici est præscribere, tunc enim salutaris naturæ motus perturbatur, & tantum abest ut venenum ad externa propellat quin & jam propulsum ad sanguinem revocare posset, si maculæ tamen sint symptomaticæ juberi potest, & de facto jubetur à celeberrimo Rivério, in suis Observationibus asserit certo quodam anno plures pestilenti Febre correptos apparentibus etiam Parotidibus venæ sectione, & Purgatione fuisse curatos, dùm alii differentem curam accipientes fatali morte lucem amittebant.

Propter fermenti ventriculi vitium de novo pravæ indolis humores generantur, aut sanguis in primis viis ipsos deponit, morâ deteriores fieri possent & cum sanguine iterum permisceri, unde Febris incrementum susciperet, leves

ergo purgationes iterum atque iterum præscribantur. Porro ab illis humoribus digestionis ordo perverteretur, alvi fluxus imo & sæpe lethales possent subsequi, illud ex Sidenhamii observationibus clarum fit, rationeque probatur, nil mirum ergo si concludamus.

Ergo Febris malignis Evacuantia.



ORNATISSIMO ERUDITISSIMOQUE

D. D. JACOBO SONNET,

Baccalaureum ambienti.

ECCĒ NOVUS prodit quo non præstantior
alter,

Phæbæâ arte potens; cui dudum favit Apollo.

Hic Febris infestam pestem, cæcasque malignæ

Causas explanat, simul & solertior æstus

Pandit, & è terris pestem hanc tutissimus arcet.

O ter fortunata Virum quæ Patria tantum

Extulit! O felix, mage, cui medicabitur ille!

Perge celer, propera quò pugnx te rapit ardor;

Sponte SONETE, tibi omnes plaudent, ipseque

Phæbus


Ecce triumphali cinget tua tempora lauro.

Cecinit in perpetuum amicitia

monumentum FRANC. GERMAN.

PREVOST Altissiodorensis apud

Burgundos, Doct. Medic.



E I D E M.

O D E.


M U S A tantisper varios laborum
 Definas cursus. Nova facta surgunt
 Quæ Lyrâ imbelli mea mens recusat
 Dicere sola.

Jam audio matrem meritis alumnorum
 Laudibus doctum celebrantem : & arte
 Exitu pugnæ facili futuræ
 Gloria crescit.

Longius fulget caput impeditum
 Laureâ rectâ variis coronâ
 Floribus : plausu gemino Lyceum
 Consonat omne.

Perge quo suesti pede mi SONETE,
 Sisque tu nostræ Patriæ perenne
 Nomen, & cura decorare gentem
 Cœnomanorum.

*In perpetuum amicitie monumen-
 tum cecinit JOANNES HAMON DE
 LA TOUCHE Brulonensis apud
 Cœnomanos, Art. Liber. Mag.
 & Med. Stud.*



E I D E M.

O D E.

INCAPAX nostri ingenii facultas
 Ecce nunc fidâ auxiliante Musâ
 Hodie intactum celebrare carmen
 Nititur audax.

Adjuvat nostri pariter triumphus
 Nobili lauro decorati amici
 Firmitas constans animusque prudens
 Magnaque virtus.

Præditus tantis meritis amice,
 Ut novum sydus residens olimpo
 Patriam & Urbem decoras Scholasque
 Monspelienses.

Debitos curæ studioque fructus
 Tam tuo dignos vigili labore
 Lætus illustri capies in Urbe
 Cœnomanensi.

Sic offerebat amico & condiscipulo in æternum gratitudinis & amicitia monumentum CAROLUS VITEST Hesdinus in Artesia, jamdudum Medicina Studiosus.



EIDEM.

DISTICHUM.

MAGNA quidem tentas, sed det tibi gloria vires,
Non juvat ex facili lecta corona jugo.

Obtulit in aeternum amicitiae monumentum SEBAST. MOLINER
Perpinianensis, Artium Liberal. Magister, & Medicin. Studios.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

RIDE M.

DISTRICT M.

MA
Not a student of the University of Chicago
in the year 1900

Given in return for the
purchase of a copy of
the University of Chicago
Library of the University of Chicago